

extinguere quàm incendium,  
 & hostis cum minore periculo  
 rejicitur, dum adhuc extra por-  
 tam Civitatis subsistit, quàm  
 cum per omnes illius plateas se  
 jam diffudit. Habent se tenta-  
 tiones ab initio instar morbo-  
 rum, qui Corpus humanum  
 tentare incipiunt, de quibus  
 Poëta : *Principijs obsta, serò me-  
 dicina paratur, cum mala per lon-  
 gas invaluère moras.*

## CAPUT VI.

### *De Modestia.*

**M**odestia vestra nota sit om-  
 nibus hominibus. Philip. 4.  
 Consistit hæc Virtus in mode-

C 3

ratio-

ratione morum externorum, & cultûs corporis, sivè in decora incessûs, vocis, risûs, vestium, & quorumvis gestuum compositione, qualem scilicet præscribit Clericis Tridentinum, *Sess. 22. de reform. cap. 1.* his verbis: *Sic decet omninò Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Necessaria autem est Modestia imprimis Parocho non solùm propter ædificationem eorum, quibus præ-  
est

est, verum etiam ad servandum se ipsum immaculatum: Sunt enim sensus externi ostia quædam, per quæ omne malum ad cor ingreditur, si non sollicitè custodiantur, juxta illud, *Jerem. 9. Ascendit mors per fenestras. & Thren. 3. Oculus meus deprædatus est animam meam.* Propter quod etiam ex dissolutione morum & sensuum externorum licentiâ indicatur interior animi constitutio propter naturalem, quàm externa cum internis habent cõnexionem, sicut testatur Scriptura, *Eccl. 19. Ex visu cognoscitur vir, & ab occurso faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis & risus dentium, ingressus hominis enuntiant de illo.* Quia Specu-

lum mentis est facies, & taciti oculi tam modesti quàm vagabundi mentis fatentur arcana, ut inquit S. Hieronymus ad Furiam viduam: homo enim apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Prov. 6. Confirmat id S. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 18. duobus exemplis tragicis, dum ait: est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia, habitus enim mentis in corporis Statu cernitur, Hinc homo cordis nostri absconditus aut levior, aut jaçantior, aut turbidior, aut contra gravior & constantior & purior, & maturior estimatur. Meministis, filij, quendam amicum, cum sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo  
tamen

tamen in Clerum à me non fuisse  
 receptum, quòd gestus ejus pluri-  
 mum dedeceret. Alterum quoque  
 cum in Clero reperissem, jussisse  
 me, ne unquam praeiret mihi, quia  
 velut quodam insolentis incessus  
 verberare oculos feriret meos, Idque  
 dixi, cum redderetur post offen-  
 sam muneri, hoc solum excepi.  
 Nec fefellit sententia, uterq; enim  
 ab Ecclesia recessit. Ut qualis in-  
 cessu prodebat, talis perfidiâ  
 animi monstraretur, namq; alter  
 Arianae infestationis tempore fidem  
 deseruit, alter pecuniæ studio, ne  
 judicium subiret Sacerdotem se no-  
 strum negavit. Lucebat in illorum  
 incessu imago levitatis species qua-  
 dam scurrarum percurfantium.

Atque hæc causa fuit , cur idem S. Doct̃or tres illos aureos libros de officijs ad reformandos in Clero suo mores conscripserit, tamque exactis regulis & præceptis illam externam vultûs & totius corporis compositionem inculcaverit , ut de ipso testatur Baronius.

## CAPUT VII.

### *De Castitate.*

**H**Æc est voluntas DEI, sanctificatio vestra , ut abstineatis vos à fornicatione , ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore : non enim vocavit ; os DEUS in immunditiam , sed in sanctificationem.

1. Thessal.